



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Theologia Moralis**

Antehac ex probatis Auctoribus breviter concinnata

**Busenbaum, Hermann**

**Coloniæ Agrippinæ, 1707**

Q. 231. An Clerico nunquam liceat negotiari.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-42600**

pendatur Ordo Clericalis, peccatur mortaliter; si non sit periculum causandi vilipendium & contemptum, non est mortale: longè autem faciliùs peccari potest mortaliter omittendo habitum quàm coronam, nemo enim arguet Parochum mortalis, in cuius capite per sex vel octo hebdomadas non apparet vestigium coronæ, etsi constitutiones Synodales id mandarent.

3373 §. III. Si Clericus in Sacris constitutus alat longam comam, *Abb. Diaz* & alii dicunt esse mortale, sed communiùs & probabiliùs negant *Caj. Sayr. Garc.* aliique cum *Quarti*, si absit contemptus & scandalum, quia quamvis fiat comminatio excommunicationis, communis tamen est sententia, secundùm dicta l. I. n. 61 1., quòd comminatio pœnæ gravis non semper innuat grave præceptum, si pœna sit ferendæ sententiæ. Denique corona, quam gestant Sacerdotes, est in signum regni, quod in Christo expectatur, ratio verò capitis significat omnium temporalium depositionem.

3374 Q. 231. *An Clerico nunquam liceat negotiari.*  
*R.* Hoc resolutum est l. 3. p. 2. à n. 997. Adde tamen hunc casum: Titio Clerico debet communitas 1000. aureos, quos cum modò solvere non possit, dat ei facultatem emendi 1000. maldera tritici & evehendi extra patriam, ubi poterit cariùs revendere, quæ facultas æstimabilis est 1000. aureis, quia tantum erit lucrum. *Quaritur*, an Titius possit hac facultate uti.  
*R.* Cum *Castrop.* T. 16. d. 4 p. 13. §. 3. n. 5. & *Lugo* in *Resp. Mor.* l. 3. d. 20. non posse, quia hoc esset negotiari, ad quod Clerico facultatem dare non potest communitas: poterit tamen Titius, 1. hanc facultatem isto pretio vendere alteri negotiaturo. 2. Ipsimet communitati dare mutuas pecunias, ut dicto modo emat & revendat triticam, tumque sibi  
 mutua-

mutuatam pecuniam restituat, & ex lucro solvat debitum.

Q. 232. Quid liceat Clericis circa venationem. R. 1375

§. I. Clericis prohibita est venatio, Cap. 1. & 2. de Cler. venat., Cap. *Quorundam*, dist. 34., Cap. *Qui venatoribus* & seqq., dist. 86., *Trid.* Sess. 24. c. 12. de Ref., ac multò magis Religiosis, juxta Cap. 1. §. *Porrò*, de statu Monach. in Clementi: Intelligitur autem venatio, quæ ab ipsis cum magno clamore & scandalo exercetur, ita ut Episcopi, si frequentes sint in ejusmodi venationibus clamorosis, suspendi jubeantur à communione tribus mensibus, Presbyteri duobus, Diaconi ab omni Officio, sed prohibitiones illæ nunc ita mitigatæ sunt, ut si recreationis causâ fiat, sine magno clamore, scandalo vel contemptu, non facillè peccetur mortaliter, *Nav. Mol. Tur. Lugo*, *Ills.* T. 4. d. 2. n. 246. Addunt *Suar. Sa, Castrop.* T. 16. d. 4. p. 13. §. 5. etiam à veniali excusari, si venatio sit rara, moderata & ad reficiendas vires. Putant etiam *Lugo, Dian.* p. 3 T. 6. R. 19. *Dicast.* de Just. l. 2. T. 2. d. 9. n. 290. quietam venationem cum retibus, laqueis paucisque canibus non esse prohibitam Ecclesiasticis.

§. II. *Dicast.* n. 300. putat venationem etiam cum apparatu & clamorosa non prohiberi Clericis, nisi fiat frequenter, & addit cum *Caj. Nav. Silv. Bann. Mol. Turr. Dian.* supra & p. 9. T. 9. R. 40., ac iterum p. 10. t. 13. R. 29., licet fiat frequenter, non audere se damnare mortalis, si ex recreatione fiat: & si mortale sit, cum *Rebell. & Less.* id esse ratione scandali. 1376

§. III. Possunt Clerici & Religiosi recreationis causâ interesse venationi etiam clamorosa, dummodo ab ipsis non exercentur, quia non prohibetur aspectus, *Lugo de Just. d. 6. n. 51.* An 1377